

1525

augeatur, incorruptusque in posteritatem omnem dimanet; præsentem illius statum, atque amplitudinem defendito, atque illius præsertim, quem Clemens familie caput, principemque in Florentina republica constituerit; præsentem reipublicæ formam, familieque dignitatem labefactari nitentes repellito. Ut vero parem Reipublicæ gratiam Summus Pontifex referat, Mediceum familiam in fide, & devotione solita, filialique observantia erga illustrissimum Dominium perpetuis temporibus mansuram pollicetur: a quo summa benevolentia, & caritate complexum iri, sartam, & tectam a cunctis periculis servandam fore, pro certo habet. Hæc a Clemente, & Venetis agebantur.

Ceterum regis Galliarum mater de iis, quæ a Cæsareanis in Insubribus gesta fuerant, certior facta, quæcumque ad dignitatem, & incolumentem Italie sustinendam spectarent, præstaturam, Gallorumque gentem semper Catholicæ Ecclesiæ addictam, discrimen omne alaci animo subituram, per Bajensem Episcopum Clementi pollicetur. Qui licet mente ad libertatem, decus, auctoritatem Italie tuendam propensus admodum esset; in illo tamen vis animi, ac vigor ad cepta consilia perficienda desiderabatur; cum parvo momento instituta consilia vel levi aliquo rerum eventu perturbatus commutaret, ancipitique consilio inter rerum maximarum successus fluctuaret: modo probare, modo improbare; neque se ex diffilimis anfractibus explicare posse. Hinc accidit, ut Michaelle Herrerio, de quo supra diximus, Imperatoris nomine propediem in Italiam venturo, duorum mensium cum Cæsareanis inducias fecerit. Interea vero Franciscus Sfortia a Davalo in arce obsidebatur, exercitu maximis populi vociferationibus atque ærumnis per domos civium in urbe disposito. Nec dum, quæ mens Cæsar is erga Italos esset, rege adhuc captivo, illius ducibus divina armis, humanaque miscentibus, satis concipi poterat, plerisque opinantibus mora, & cunctatione Principum animos distinendo id assequi velle, ut iis torpentibus, devictis Insubribus, per suos fines in Neapolitanum regnum tutum iter patefaceret; inde Tridento in Germaniam copias immittere, nullo obstante, posset; atque eodem tempore Italos, Germanosque, gentes libertati asluetas, imperio, & auctoritate coercere.

*Inducia
duorum mē.
sum inter
Clementem,
& Cæsare.*

*Sfortia in
arce Medio-
lani a Da-
valo obside-
tur.*

Sena-